

PRIVILEGIUM GREGORII XIII.

PONTIF. MAX.



MOTU proprio, &c. Cùm, sicut accepimus, dilectus filius Guillelmus Chaudiere, Bibliopola seu Typographus Iuratus Vniuersitatis Parisiësis, & Parisiis cômorans, Commentaria in Harmoniam Euangelicam, ex antiquis Ecclesiæ Patribus, quæ ad interpretis & Ecclesiastæ munus faciunt, per dilectum filium Fratrem Thomam Beaux-amis, ordinis Carmelitarû professorem, & Magistrum in Theologia, selecta, quatuorque tomis comprehensa, magnis impensis typis mandari & excudi facere cupiat & intendat, & iam excudi facere incœperit. Nôs, ne post magnas impensas & labores, quos propterea ipsum Guillelmum, qui multos libros sacros Ecclesiasticos, & ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus scriptos, probè & catholicè cudere curauit, subire oportet, alij lucrum ex alienis impensis & labore surripiat: illius indemnitati in hac parte, quantum in nobis firum est, consulere, ipsûmque specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes: Motu simili, &c. postquàm ipsa Commentaria à Facultate Theologiæ examinata & approbata fuerint: Omnibus & singulis Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus ac Bibliopolis, quouis nomine nuncupatis, tam in alma Vrbe nostra, & illius districtu, ac toto nostro statu Ecclesiastico, nobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecto in Italia, quàm extra eam, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua nullus præterquàm à nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, absolui possit: ac etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna Camera Apostolicæ, & pro alia dicto Guillelmo, eiûsve hæredibus vel successoribus, ac ius vel causam ab eo vel eis pro tempore habentibus, ac pro alia accusatori, & pro reliqua quartis illorum partibus iudici exequenti: nec non amissionis typorum, librorum & operum, eidem Guillelmo & suis prædictis irremissibiliter applicandum pœnis toties ipso facto, etiam absque declaratione cuiusque iudicis incurrendis, quoties contrauentum fuerit, districtiùs inhihemus & interdiciamus, ne per decem annos à primæua dictorum Commentariorum impressione computandos, Commentaria ipsa in toto vel in parte, & quocunque alio idiomate, & tam sub eodem quàm sub alio quocunque titulo, nec etiam cum quibusuis additionibus, summariis, glossis, vel interpretationibus, neque etiam sub cuiuscunque alterius generis adiunctionibus ad eandem materiam accedentibus, vel illam referentibus, aut illi similibus, etiam ad instâtiâ cuiusuis alterius personæ, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, præminentia & conditionis fuerit, quouis quæsito colore vel ingenio, imprimere & typis excudere, seu imprimi & excudi facere, aut etiam alibi, vel ab aliis impressa vel in lucem edita vendere, aut venalia, seu aliàs quo-